

**Dissertatio medica inauguralis, de angina gangraenosa ... / [William Withering].**

**Contributors**

Withering, William, 1741-1799.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Auld et Smellie, 1766.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bh532ktp>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

52721/11  
861  
DISSERTATIO MEDICA,  
INAUGURALIS,  
DE  
ANGINA GANGRAENOSA:

QUAM  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,  
GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.  
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON  
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;  
PRO GRADU DOCTORIS,  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit  
GULIELMUS WITHERING,  
ANGLO-BRITANNUS.

Ad diem 31<sup>o</sup> Julii, hora locoque solitis.

————grave pectus anhelat,  
Caligant oculi, —————  
Deficiunt vires, vox ægre faucibus exit.

ANTI-LUCRET. lib. v.

EDINBURGI:  
Apud AULD et SMELLIE Typographos.

—————  
M, DCC, LXVI.



Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3035304x>

AVUNCULO MEO PLURIMUM HONORANDO,

VIRO VERE ERUDITO,

ARTIBUS INGENUIS ORNATISSIMO,

BROOKE HECTOR,

LICHFIELDIENSI, M. D.

PROPTER ANIMUM AMICISSIMUM,

QUO ME MEAQUE STUDIA

SEMPER FOVIT;

NEC NON,

NEC NON,

REVERENDO ADMODUM VIRO,

HENRICO WOOD,

LITERARUM HUMANIORUM CULTORI,

PRÆCEPTORI FIDELISSIMO,

ANNORUM PUERILIUM CUSTODI SEDULISSIMO,

MONITORI LIBERRIMO ET AMICISSIMO,

OB OPTIMA

IN STUDIIS EXCOLENDIS CONSILIA,

BENEFICIAQUE INNUMERA IN ME COLLATA,

HANC DISSERTATIONEM MEDICAM,

GRATI ANIMI MONUMENTUM,

DICATAM VOLO.

GULIELMUS WITHERING.

# DISSERTATIO MEDICA

DE

## ANGINA GANGRÆNOSA.

**E**X variis anginae quae memoriae proditae sunt speciebus, nulla auxilio medicinae magis indiget, quam ea de qua paucis differere mihi in animo est. Quod negotii eo lubentius suscipiendum putavi, quod hoc malum majoribus nostris omnino fere incognitum, memoria nostra, atque etiam paucos ante annos, in compluribus Britanniae regionibus, incidens, priusquam a FOTHERGILL, et post hunc ab HUXHAM, praeclarissimis viris, ejus natura explicata est; siue errantibus siue animum parum intendentibus medicis, miserorum aegrotantium plerosque jugulavit.

ARETÆUS, vetustissimus de hoc morbo scriptor, eum Egyptiaca et Syriaca ulcera adpellavit\*. Posterius alia ei nomina alii dederunt; quorum haec praecipua sunt:—*Crustosa et pestilentia tonsillarum ulcera*†; *Ulcera pestifera in tonsillis*‡; *Angina epidemia, pestifera, maligna,*

A

contae

\* Aretaeus Cap. De causis et signis morb. c. 9. p. 7.

† Aetius tetr. 2. sermo 4. cap. 46. p. 397.

‡ Paulus Aegineta De re med. lib. 3. cap. 26. p. 445.

*contagiosa* \*; *Faucium et gutturis anginosa et lethalia ulcera* †; *Angina pestilens* ‡; *Garrotillo* ||; *Angina puerorum epidemica* §; *Angina epidemica Neapolitana* \*\*; *Febris peticularis* ††; *Affectus suffocatorius*, *Carbunculus anginosus*, *Phlegmone anginosa*, *Morbus gulæ, pestilens ac praefocans pueros abscessus*, *Tonsillae pestilentes*, *Aphthae malignae*, *Passio anginosa*, *Laqueus gutturis*, *Epidemica gutturis lues* ††; *Angina gangraenosa* |||; *Sore throat attended with ulcers* §§; *Malignant ulcerous sore throat* †; *Pelham sore throat*; *Angina carcinomatosa* ††: Quae nomina, quantumvis varia, eundem morbum omnia significant. Licet enim in quibusdam rebus differre videantur; tamen ea discrimina potius variae coeli naturae, vario victus generi, variis hominum opinionibus

\* Petri Foresti Observat. med. 2 scholia, p. 190.

† D. Ludov. Mercati oper. tom. 5. consult. 24. p. 134.

‡ Joannis Wieri opera, p. 910.

|| Zacutus Lusitanus De praxi medica admiranda, lib. 1. observ. 92. p. 73.

§ Libello Thomae Bartholini De ang. pueror.

\*\* Thomae Bartholini Epist. med. cent. 1. p. 340.

†† Bernard. Ramaz. Constit. epidem. obs. 17. p. 110.

‡‡ Cortesii miscellanea medica, 696. Severin. et Moreau Epist. ad Th. Barth. De laryng.

||| Mead's Monita medica.

§§ Fothergill's Account, &c.

† Huxham's Dissertation.

†† Nova acta eruditorum, anno 1758.

nionibus et loquendi generibus, quam ipsi morbi naturae, siquidem praecipua signa eadem semper sunt, deberi credendum est.

## D E F I N I T I O.

LICET nihil in artibus, nihil in ulla disciplinae literarum parte, optabilius sit, quam ut is, qui ullam rem cognitione dignam literis proditurus est, eam paucis verbis finire, et quae sit ejus natura, in operis limine, aliis patefacere, possit; tamen praesens nostra scientia adeo dum incerta, adeo nondum absoluta est, ut hoc ipsum definire semper factu difficile, saepe fieri omnino nequeat: idque, praeter caeteris, arti medicinae usu venit; cujus peritissimi et gravissimi autores et professores arduum hoc negotii saepe ne tentare quidem audent; nedum ego rei tam difficilis prosperos successus mihi datum iri sperem. Quocirca, utut necessarium est morbos inter se certis notis et discriminibus dissepire; tamen, si hunc morbum “Inflammationem faucium crustis, plerumque etiam ulceribus, et febre contagiosa putrida, comitantibus” definiens erraverim, non dubito quin veniam mihi dederint lectores.

## HISTORIA

## HISTORIA MORBI.

ANGINA gangraenosa fere ante meridiem accedit; ab inertia et capitis veluti vertigine, qualis animae defectioni praeire solet, incipiens; cui deinde frigoris aliquantulum et horrores succedunt, in magnum mox calorem defituri; itaque saepe frigus et calor alternis vicibus aliquot horas subeunt, atque tandem vincit calor. Dolor acutus capitis, et in nonnullis graviter affectis tergi et artuum sentitur. Plenitudinis et aegritudinis quiddam, magis quam dolor gutturis percipitur. Tuffit aliquantum homo, aliquantum rigescit; musculisque cervicum et humerorum motitatis, dolet; - inquietudinem, inenarrabilem anxietatem, animae defectionem, circa praecordia pondus et suspiria frequentia, conqueritur. Nausea, vomitus, dejectiones frequentes, torquent: vomitus autem et dejectiones pueros saepius, hosque saepe simul, petunt. Plerisque vultus rubescit et tumescit, nonnullis idem pallescit, et attenuatur. Oculi hebetes, subrubri, et quasi flentes, apparent. Paucis post morbi adventum horis, et in nonnullis protinus ab initio, uvulae et tonsillae tumidae et inflammatae conspiciuntur. Quae partes, sicut et velum pendulum palati, gena utraque

traque prope faucium introitum, quin et pharinx averfa, admodum rubent, vel potius coccinei coloris funt. Per uvulam, tonfillas, velum pendulum palati, et pharinga averfam, complures fubalbidae feu cinereae maculae difponuntur, quarum admodum contigui limites rubent. Hae maculae faepe et numero et magnitudine multum augentur, et in aliis hominibus aliae funt, five numerum, five magnitudinem, feu denique fitum earum, respicias. Glandulae parotides et maxillarum multum tument, durefcunt, tactuque dolent. Vultus, collum, pectus, brachia, manusque, eryfipelatis colorem magis aut minus plerumque referunt, et tumefcunt. Per eadem loca exiguae lentigines rubentiffimae apparent; quo facto, protinus naufea fere definit, vomitusque et fufa alvus finiuntur. Lingua fumma albefcit et humefcit; eandem pofteriorem craffa flavefcens vel fubfufca crufta obducit. Non multum fitis eft; fed putentem in gutture et naribus odorem homo queritur; reque vera adftantibus fpiritus eft moleftus. Nares interiores alte rubefcunt, vel prope livefcunt; quin et fanguis ex naribus faepiffime, ex ore, et mulieribus ex utero, haud raro erumpit. Facilius tamen devoratur quam infpecto gutture crederes, firmaque indolentius quam humores per guttur defcendunt.

dunt. Cutis ardet, aret, exasperatur, raro fudore diducitur. Circa initia urina pallefcit, et ferum lactis repræfcntat, quæ utique in multis adultis hominibus exigua copia et alti coloris exit. Arteriae plurimis exiguae, citæ, trepidant; eadem nonnullis graves et quafi undarum more fluctuant. Sanguis nitentis et rubentis coloris, ejufdem pars craffa diffoluta, ferum flavens et multum eft. Febrilia fub noctem multum ingravefcunt, nonnullosque prima nocte delirium agit. Sub lucem fudor erumpit, et levaminis aliquid adfert: hoc autem toto morbo fieri confuevit.

PROCEDENTE morbo, inquietudo et anxietas, cum devorandi difficultate, multum augentur. Alii enim pervigilant et phrenitide affidua torquentur: alii ftupentes ita jacent, ut fubinde fubfiliens fecum aliquid miffitent. Alvo, quæ fufa erat, jam repressa, raro ea quicquam redditur; quæ tamen fi magna morbi faevities eft, nonnullis ad extremum fufa permanet. Vultus tumens, flavefcens, et fuffulgens; cervices admodum tumidæ et oedematodes; oculi vividam gratiam perdidiffe, ac vitreorum quafi et emortuorum inftar effe, adparent. Gutturis cruftæ, et numero et magnitudine crefcentes, concurrunt, et magnam unam atri fufci coloris efficiunt:

Quin

Quin et partes circumjacentes magis jam livescunt. Multorum cutis petechiis, et maculis purpureis obducitur. Jam spiritus pessimus, et intolerabilis odor est. Tenuis sanies ex ore et naribus effluit, acrisque ita, ut partes quas tangit rodat, et in vesiculas vultum, manus, et brachia aegrotantis, sed et nutricis, excitat. Pueris sternutamenta, fusa alvus, tormina, inanis desidendi cupiditas, natesque et anus rosus, incidunt. Porro purulentæ materiae, in aliis sanguine tinctæ, in aliis prorsus liventis et teterrime olentis, magna copia expuitur. Hoc tempore spiritus multo difficilior est, stridulus stertor est, vox rauca imo quasi pectore effertur; urina coloratior, quasi bile mixta, flavescit. Arteriae celerrime et tenuiter micantes trepidant; in nonnullis ictus intermittunt, omnique modo inaequales sunt.

IN natu minoribus quinque vel sex dierum spatio morbus fere finitur: puberes, quive hanc aetatem superarunt, secundo vel tertio die aliquando moriuntur; nonnulli autem in decimum vel duodecimum diem vitam miseram trahunt.

*Inspectio Cadaverum.*

CADAVERA incidendi et scrutandi negotium, quod ad morborum naturam retegendam plurimum facit, nunquam suspecta in lucem

lucem profert, caufarum notitiam illuftrat, et rationes ac contemplationes noftras in folidiore monumento ponit, hætenus nimis eft neglectum. Atque nunc etiam, licet multa tentata fint, tamen plura tentanda ac inveftiganda reftant. Quodque ad hunc morbum attinet, diligentiam omnium cadaverum recessus explorandi et acre MORGAGNI ingenium deefle, dolendum eft.

QUONIAM igitur publica defunt, privata quaedam ab ingeniofiffimo, doctiffimo, maximeque amabili juvene, amico meo NOOTH, qui mecum medicinae lauream petit, accepta, duobus cadaveribus incifis obfervata, exponam.

MULIER quaedam trimestri fpatio poft partum, in anginam gangraenofam implicata eft; quo morbo procedente, exanthemata pectore apparebant; alvus limofa quaedam cum torminibus reddebat; ipfa octavo die perempta eft. Cadavere aperto, membrana fauces et fuperiorem oefophagi partem intus obducens, multo craffior jufto, cruftisque fulvi coloris confita reperiiebatur; quibus facile feparatis, partes fubjectae rofae, tanquam inde aliquid periiffet, apparebant. Rubedinem, quae vivarum fuit, fauces perdiderant. Craffior folito magisque rubra interior laryngis membrana erat. Ventrículus et inteftina materiam limofam continebant.

nebant. Circa guttur glandulae lymphaticae ampliatae erant; salivae autem sub lingua glandulae minime affectae videbantur. Glandula quaedam lymphatica protinus supra ipsum parotidis additamentum sita, magnopere; ipsa vero parotis glandula minime tumescebat. Hinc tumores, qui a parotidum et salivae in maxillis glandularum affectibus orti crediti sunt, revera glandularum lymphaticarum esse; quodque acrem ex ulceribus faucium materiem hae imbiberint ideo effectos; et salivae glandulas solum ex reliquis partibus tumefactis deinde affici, verisimillimum est. Ad supra dicta adtexendum videtur, huic mulieri sanguinis unciis quatuordecim detractis, arterias multo debilius micuisse, robur prorsus fractum esse, ipsamque ad pristinas vires et valetudinem, auxiliis aliter secundissimis adhibitis, nunquam deinde reduci potuisse.

IDEM juvenis, pueri annos quinque nati, hoc morbo perempti, cadavere scrutato, membranam fauces intus obducentem multo spissatiorem, non incrustatam, sed ulceribus maculisque liventibus, per magnam oesophagi partem serpentibus, consitam, laryngem a morbo liberam, pituitosam nasi membranam memorabiliter tumefactam, conspexit. Hic puer vivus,

exanthematibus caruerat; sed alvo soluta, per totum morbi tempus, erat exercitus.

IN quibusdam a praeclaro nostro MONRO Patre, cadaveribus incisis, interior laryngis pars tali tunica, qualis in suffocatione stridula est, obvoluta reperta est. Quod utique in omnibus non factum est, et quorum cadavera sic afficiebantur, ii vivi suffocatione stridula affectorum instar, per morbi tempus spiraverant \*.

FIERIQUE etiam potest, ut angina gangraenosa et suffocatio stridula eundem simul petant;

\* “ Subjungere vero omnino oportet, quae in demortuo, eodem illo tempore, quo Stockholmae grassabatur, reperit Celeb. Anat. et Chir. Professor Rolandus Martin. Praesentibus R. Coll. Med. assessoribus gravissimis, experientiss. D D. D D. Strandberg et Darello, infantem, qui hoc morbo decesserat, dissecuit. Asperam Arteriam intus undique membrana crassiori inductam observavit. Grisea illa inventa est, et ex putredine laciniosa, parte qua parietibus tubi adhaerebat; altera exteriore sanguineo-purpurea. In bronchiis pulmone testis cartilagine luculentas in illa effecerat impressiones. Quo longius autem descendebat, eo pallidioris fuit ruboris, et in subtilissimis quidem bronchiorum ramis prorsus albicans, speciem praebuit membranae, quae putamen ovi intus investit; quacunque vero se extendebat, evidenter a membrana bronchiis propria distingui potuit. Pulmones non fuerunt inflammati, neque ulla ratione laesi, ut suffocatione infantem periisse constaret.”

Vid. Diss. med. inaug. de Angina Infantum, H. C. D. Wilcke. p. 6.

tant; eoque magis, quod ingeniosus WHYTT, qui medicinam nuper in hac academia docuit, praeter suffocationem stridulam cum inflammatione, aliam ejusdem morbi speciem, quam ille putridam malignam nuncupavit, simul incidere demonstravit\*. Quae utique species in meridionalibus Britanniae partibus vix unquam conjunguntur; acutum enim latrantem illum sonitum, qui in angina cum inflammatione saepe auditur, HUXHAM ne semel quidem in angina gangraenosa sese percepisse testatur†.

*De Exanthematibus.*

SECUNDO fere, tertiove morbi die, magna pustularum vis, quas *εξανθήματα* Graeci vocant, per summa corporis oritur. Cervices, collum, pectus, brachia, et manus, coloris erysipelatodis sunt, tumorisque plus minusve habent, perque has partes plurimae papulae, exiguae, magis rubrae quam partes circumjacentes, disperguntur. Eaedem et in iis hominibus, et in iis eorundem partibus, ubi rubedinis minus est, majores existunt‡. In aliis multum eminent; in aliis adeo parvae sunt, ut tactu quam visu magis sentiantur. Si tumor magnus est, brachia,

\* In Praelectionibus clinicis.

† Huxh. diss. p. 280.

‡ Foth. acc. p. 33.

chia, manus, et digiti rigescunt, et aliquantum dolent\*.

RUBEDO et exanthemata summae cutis, non tam anginae gangraenofae hoc tempore, quam cum illa primum apud nos apparuit, constanter adhaerent†. Nonnullis enim, ante anginam, cutem exanthemata distinguunt: alios vero, prae caeteris adultos homines, sine exanthematibus gravissima angina premit, quos deinde convalescentes, magnus pruritus, cuticulaeque abscessus, afficiunt‡.

HUJUS morbi pustulae, cum eum RAMAZZINUS primum observavit, adeo erant insignes, ut febrem peticularem inde ille vocaverit. Illoque auctore discere licet, earundem faciem, aequae ac nunc, conspectu variam fuisse||. Quin et easdem saepe in Italia ex toto abfuisse, eo verisimile est, quod scriptorum Italorum complures nullam earum mentionem fecerint.

#### PROG-

\* Huxh. diff. p. 282.

† Dr Wall's letter. Gent. Mag. 1751. p. 499.

‡ Huxh. diff. p. 281.

|| Variæ autem ac diversi coloris erant, prout varii ac diversi erant aegrotantium habitus; aliae erant rubrae, aliae pallidae, aliae fusci coloris; aliae parvae, aliae latae, aliae in summo, aliae in profundo, et quas non nisi oculis tranverse tuentibus liceret inspicere, quod genus peticularum fuit valde ominosum.

Bern. Ramazz. constit. epidem. obs. 19. p. 111.

## P R O G N O S I S.

Post primum usque morbi diem, nonnulli convalescunt; in plerisque tertio, quarto, quintove demum die, haec signa salutis apparent: Immodica animae defectio remittit, quod ipsum faustum omen est; rubedo cutis summae paulatim decedit; calor minuitur; lenis facilis sudor per omnia aequaliter membra exit; arteriae lentius, validius, et aequaliter magis micant; spiritus mollior et expeditior fit; aliquid gratiae vividae et constantiae ad oculos redit\*; faucium crustae leniter et manfuite abscedunt; ulcera munda, florida, in carnem ire videntur; mollis colli tumor decrescit; somnus non turbatur, vigilia tranquilla est, cibique desiderium redit. Urina turbida est, in eaque aliquid farinae instar defidit. Alvi profusio paulo maturius desinit. Alii multum pectore, alii minimum aut nihil exspuunt. Exanthemata cito et mature prodeuntia, plerumque laetum finem promittunt; magisque, si cuticula ample abscedens sequitur.

CONTRA, rigor superveniens, exanthemata vel subito evanescencia, vel in fuscum et lividum

\* Aetius Cletus Signinus demorb. strangulat. cap. 1. p. 6.

dum colorem conversa; arteriarum pulsus admodum exigui, citi, trepidi, omnique ex parte inaequales; cutis cum ariditate ardor; spiritus difficilior; anxietas permanens; fauces rubentissimae, prope livescentes, et cum splendore quodam arescentes; afflicta in summo periculo versari significant. Verum oculi hebetes et opaci; urina pallida ac limpida, phrenitis aut coma, cum frigidiusculo vultus et extremorum sudore, subiens; singultus aut suffocationis periculum; et huic propria convulsio quaedam gutturis musculorum; subito soluta alvus, liquidam foede olentem materiam, nescio homine, profundens; cervices, collum, vultusque, quasi inflata, turgescencia, et cadaveris instar apparentia, et totum corpus molliter tumescens; mortem esse in propinquo declarant.

PUERILIS aetas plerumque plus in hoc morbo quam adultior patitur: Nam praeterquam quod idonea iis remedia subministrari nequeunt; quia acria et crustas a gutture subinde abscedentes, excreare nesciunt, et haec devorata ventriculum et intestina rodunt; ideo totius corporis aegritudo, tormina, inflammatio, gangraena, sanguinea limosa magnopere rodentia ac foedissime olentia alvo reddita, miserrimos exercent.

CAUSÆ

## CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

HOMINES qui laxos et humidos habitus habent, angina gangraenosa magis quam alii\*, pueri quam natu grandiores†, puellae quam pueri, mulieres quam viri, alios morbos passi soliti quam robusti et integri‡, periclitantur.

PORRO, quaecunque corpus debilitant, idem huic morbo objiciunt; hujusmodi moeror§, humores immodice excreti\*\*, et similia quaedam, sunt. Quae vero, praeter firma debilitata, humores acri putredine afficiunt, ea demum potentissima ad morbum sunt: hujus autem generis febres putridae††, variolae‡‡, scorbutus, dysenteria§§, sunt. Postremo, angina cum inflammatione viam ad anginam gangraenosam interdum facit. Nuper enim, ab omnibus fere illius signis incipiens morbus, intra biduum vel triduum natura mutata, in hanc

\* Severinus De recondita natura abscess. p. 547.

† Aetius Cletus Signinus de morbo strangulatorio, cap. 1. p. 6.

‡ Foth. diff. p. 49. Aetii Tetr. 2. Sermo. 4. p. 398.

§ Idem. p. 43.

\*\* Idem.

†† Dr Wall's letter. Gent. Mag. Ann. 1751. p. 501.

‡‡ Idem.

§§ Van Swieten comment. § 811. p. 683.

hanc manifesto definere, haud raro observatus est.

### CAUSAE OCCASIONALES.

PRAECIPUAE causae morbum protinus excitantes, a scriptoribus commemoratae, sunt coelum humidum et aestuans \*, venti australes †, locorumque humiditas ‡. Hae autem duplici ratione forsitan agunt; nam et cum causis supra dictis conjungi, et morbum efficere; vel diu manentes, et corpus male afficientes, hoc tandem opportunum morbo reddere possunt. Cum autem de hac actione supra jam dixerim, nunc de illa sola dicam. ARETAEUS, cum Ægyptios, prae caeteris §, angina gangraenosa tentare videret, quod radicibus, oleribus, et feminibus acribus vescerentur, et aquam ex Nilo potandam peterent, id fieri conjecit. Neque hanc conjecturam ex  
toto

\* Van Swiet. comment. § 811. p. 683.—Aer humidus, calidus, maxime ad putrefactionem facit, quod etiam de corporibus humidis calidis (qualia sunt infantilia) intelligendum, quorum temperies prae omnibus putrefactioni est obnoxia. Becher. Physica subterranea, l. 1. § 5.

† Huxh. diss. p. 273. Foth. acc. p. 31.

‡ Aret. Capp. cap. 9. p. 7. Gent. mag. loco supra citat.

§ De causis et signis morborum, cap. 9. p. 7.

toto inficior; verum, ni fallor, ratio multo verisimilior ex proprio regionis situ, Nili inundationibus patentis, ideoque incolas vaporibus inde fummissis, et coeli istius ardore, flumine alveum repetente, putentibus objicientis, trahenda est. Ille ficcum aëra pro causa habuit, quem virum optime de medicinae cultoribus meritum, ac imprimis diligentem, tamen in errorem semel incidisse opinor: Neque enim tam ardentis coeli aëra, tota terrae facie aquis toties et tamdiu stagnante, arescere posse, credendum est.

### C A U S A P R O X I M A.

OMNIBUS quae in hoc morbo apparent perspectis, viro praeclaro FOTHERGILL, proximam ejus causam putridum virus, seu, ut ille loquitur, “fui generis miasma,” esse, assentio. Verum hoccine morbi semen causarum antecedentium actione conjuncta intus nascatur, an ex aliis corporibus ad alia tactu, aliquavere media, perferatur, quaestio investigatu difficilis est. De qua pauca dicam, ubi prius, quod scitu multo erit dignius, gangraenosa angina contagiosa sit necne, inquisivero. Et quoniam in diligentibus ac fidelibus observationibus res posita est, eorum qui in ea observanda versati

funt testimonia in unum conferam. SEVERINUS “Quod ad *contagionem*,” inquit \*, “attinet, hoc tum communi omnium consensu, “atque experimento, evincitur, tum etiam “comprobatur ratione.” ZACUTUS LUSITANUS, “In his partibus,” ait, (scilicet faucibus) “ex humoris virulenti affluxu gignuntur carbunculosa inflammationes, quae, pestis diarrae, aut veneni promptissimi instar, *contagio* “quodam pueros et adultos corripunt, et “faevis maleficientissimis stipatae symptomatis “citissimam necem inferre solent †.” MOREAU haec verba sunt: “Qui fere in diversas semitas abeunt, uno articulo concordēs, perniciosum videlicet affectum et epidemicum, et “*contagiosum* esse ‡.” WEDELIUS “Anginam “infantilem *contagiosam* esse” definit ||. Quod si ad haec FOTHERGILL § et WALL \*\* testimonia adtexantur, anginam gangraenosam esse contagiosam, haud erit addubitandum.

ALTERA quaestio eodem modo investiganda

\* De recondita abscessuum natura, p. 530.

† Zacut. Lusitan. De prax. med. admir. lib. 1. obs. 92. p. 73.

‡ Epist. R. Moreau ad calcem tractatuli Thom. Barth. de Angina pueror. epidem. p. 128.

|| Wedelius De morbis infantum, cap. 20. p. 77.

§ Foth. Acc. p. 71.

\*\* Gent. Mag. ann. 1751, p. 497.

da restat: tactum, an alia re media interposita, ex aliis ad alia corpora hic morbus transferatur? harum rerum utramvis fieri posse, MERCATUS auctor est, cujus testimonium infra scriptum est: “Mirabile dictu! erat quidem dira humoris conditio, adeo pernicio-  
 “sa, efficax, et contagiosa, quod digitum patris indicem, quo extrahebat eum succum  
 “ex ore filii, mordicaret et in ruborem moveret cum dolore: tandem mox pater con-  
 “querebatur de difficultate respirandi et deglutiendi, cum dolore et tumore faucium,  
 “ac saturato colore et glandulis extra apparentibus juxta mentum. Ex quibus secundo die halitum prave olentem expirabat;  
 “ita ut jure optimo possis colligere, contagio filii patrem fuisse affectum \*.”

QUI autem hoc morbo laborantis spiritum modo persenserit, ei contagionem per aëra in vicina corpora insinuari posse, certe erit fatendum. Porro Cl. FOTHERGILL, eundem morbum in familia exortum, nisi ab aegris integri removeantur, per omnes parvulos ire; atque etiam ex adulta aetate qui multum inter eos versantur, et vicini spiritus halitum excipiunt, paucos labis aliquantum fugere, testatus est. Idem, eam rem, quod “putridum virus sive  
 “fui

\* Opera, tom. 5. consultat. 24. p. 139.

“fui generis miasma” per contagionem in corpus permanaverit, fieri judicavit.

## D I A G N O S I S.

CUM qualis sit angina gangraenosa jam ante definiverim, eandem ab aliis morbis quae distinguant, quod Graeci διαγνοσιν dicunt, discrimina quaedam exponere, supervacaneum videri possit. Verum, licet definitio breviter idem faciat, tamen ad propria quaedam descendere, et morbus de quo agis quibus rebus ab aliis ei vicinis differat, quibus conveniat, fusius percurrere, saepe operae pretium est. Ut igitur tria mala huic similia sunt, aphthae, angina in inflammatione posita, et lues venerea; nonnullas notas, quibus ab angina gangraenosa internoscantur, ordine demonstrabo. Nulla noxa anginae gangraenosae similior fauces infestat, quam aphthae; utramque enim causae communes excitant, utrique affectus plurimi sunt communes, medendique ratio non dissimillima est. Discrimina vero haec sunt: Ulcera anginae gangraenosae, pharynge, amygdalis, velo pendulo palati et uvula, continentur: Contra aphthae, non solum fauces, oesophagum, hisque proxima afficiunt, sed et

et genas interiores, gingivas, palatum, et linguam obfidet\*. Ulcera illius in latitudinem ferpunt, et figuris inaequalibus sunt; hae parvae ac rotundae apparent†, et interdum febre carent; contra, angina gangraenosa semper febrem habet‡. Eadem contagiosa est; aphthae contagionis expertes: illa erysipelas colore magis aut minus refert; in his nullus talis color observatur. Plura discrimina, si pluribus esset opus, in medium proferri possent.

PORRO, cum plurimum referat, anginam gangraenosam ab illa quae cum inflammatione est, ab ipso initio dignoscere; ea signa, in quibus quicquid differentiae sit, colligere et demonstrare conabor. Utriusque primae accessioni communis horror, qui a multis horripilatio perperam dicitur, reperitur; idem, in angina gangraenosa, vices cum calore subito permutat. Eidem huic summa anxietas, animae defectio, circa praecordia gravitas, suspiria, infueta lassitudo, animique dejecti, propria sunt. In angina cum inflammatione, arteriae crebro, plene, et valide; in gangraenosa item crebro, sed exiliter et inaequaliter, micant. Illius tumor faucium magnus est, et inflammationi

\* Boerhaavii Aphorism. § 981.

† Idem, § 979.

‡ Van Swiet, Comment. § 983. p. 201.

tioni phlegmonicae concolor; hujus tumor tardius crescit, et coloris admodum coccinei est; quae ipsa nota adeo est insignis, ut qui semel anginam gangraenosam viderit, vix eam deinde visam nescire possit. Angina in inflammatione posita faucium dolorem acutum et pulsantem habet; in gangraenosa, non tam dolor, quam calor et aegritudo quaedam, sentitur. Haec, saepe a vomitu et dejectionibus crebris, illa nunquam, incipit. Denique, ubi ulcera jam apparent, tum demum de morbi natura, satis manifesta, amplius dubitari nequit. Verum semper prius os et guttur gargarizandum est, quam ea medicus inspiciat; quod ubi non erat factum, mucum amygdalas et columellas obtegentem, pro ulceris crusta habitum, ipse vidi. Postremo, si quis, anginam quae inflammationem habet, bene valentes, vigentes, et robustos; gangraenosam, valetudinarios, imbecillos, et infirmos, mulieres potius quam viros, pueros quam utrovis, petere; illam sine contagione, vernis; hanc cum ea, autumnalibus magis temporibus, incidere consideret\*; is ab omni parte utriusque discrimina tenebit.

LUES

\* Post mensem Februarium morbus ita desit, ut ne ullus quidem eodem laboraret amplius. H. C. D. Wilcke De angina infantum, p. 6.

LUES venerea, quae cum ulcusculis guttur interdum obsidet, sola aliorum morborum angina gangraenosa credi potest; quem errorem, siue causae siue affectuum praecedentium notitia tollet. Quod si medico, quod saepe fit, verba dedit, eumque veram causam aegrotans celavit; ille luem veneream inflammationis gutturis minimum habere, per hoc exulcerationem tardius procedere, febremque putridam anginae gangraenosae semper haerentem abesse, pro certo habeto.

### MEDENDI CONSILIUM.

QUÆCUNQUÆ in curatione facienda sunt, ad aliquid horum referri poterunt; primum, ut urgentia signa leventur; deinde, ut acris materia lenita ejiciatur; tum, ut robur affecti fervetur; postremo, morbi reliquiae tollantur. Quorum communium consiliorum ita rationem habebo, ut affectuum, prout sese obtulerint, ordinem persequar; itaque remedia praecipiam, ut aegrotanti medicum adfidentem decet.

IGITUR, incipiente morbo, si nauseat homo, aut vomere desiderat, hoc desiderium juvari, leniter vomendi causa, thea viridi infusa, carduo

duo benedicto, chamaemeli floribus, vel ipecacoanae paucis granis datis, oportebit. Sic enim ea aegritudo optime solvitur, anxietasque et animae defectio multum levantur. Quod si post vomitum, nausea, anxietas, et circa praecordia gravitas, permanent, menthae infusae cui vini Oportoensis, ejusve quod *Claret* dicitur, exiguum aliquid adjectum sit, crebrae potiones, magis minusve pro aetate, natura hominis, aut affectuum saevitia, dandae sunt. Item haustum salinum, secunda, tertia, aut quarta quaque hora, cum confectioe cardiaca, dari licebit. Si alvus dura est, liquor vel ex lacte, sale, et saccharo, vel ex decocto communi, in eum immittatur. Contra, si alvus citatur, nauseaque et aegritudine sublatis, non sistitur; ad decoctum lignum Campechense, electuarium e scordio, decoctum Fracastorii Fulleri, pulverem e bolo compositum, vel sine vel cum opio \*, pro affectuum vehementia, fugiendum est. Ex his remediis aliud alii, pro morbi natura varia, anteponendum est. Nullum vero pulvere e bolo composito, tenui aqua cinnamomi admixto, elegantius; nullum decocto Fracastorii potentius est. Quoad solum fauces inflammabuntur; vapores mixturae ex aceto, myrrha, et melle, compositae ferventis, tertia quaque vel quarta hora infundere

\* Foth. Account, p. 56.

nuare fatis erit. Verum simulac maculae apparuerunt, cortex Peruvianus in auxilium vocandus est. Inde, ex variis paratis, nullum vel aegrotantibus magis convenit, vel efficacius ad salutem, decocto est; nam variae tincturae corticis virtutis minus habent; pulveres ventriculo molestiam saepe exhibent; extractorum, dum parantur, vis imminui periclitatur, et nisi diligenter parantur, totam medicinae vim non possident; infusum autem simplex nondum in acutis et periculosis morbis prodesse compertum est; extractum in aqua cinnamomi tenuiori solutum, qui decoctum fumere nequeunt, parvuli saepe sumunt. Vapores modo memorati usque in guttur infinuandi sunt; praeterea hoc saepe in die tinctura rosarum lavandum, vel medicamento ex decocto pectorali, melle, aceto, et tinctura myrrhae composito, gargarizandum est. Praeclarus FOTHERGILL gargarizantem medicinam per syphonem injiciendam censet\*; quod praeceptum PRINGLE egregius summopere collaudat†. Si glandularum tumores

D

multum

\* Foth. Acc. p. 66.

† Even in the angina maligna, or ulcerous fore throat, I lay the chief stress of the cure upon gargling in this manner. In all cases I direct five or six syringe-fulls to

multum dolent, linimento volatili bis die eas fricare, utile est. Circa hoc morbi tempus, sanguinem ex naribus, ore, aut utero erumpere, haud rarum est. Cujus profluvium si hominem arteriarumque pulsus, ut fert consuetudo, debilitat; id, elixir vitrioli acidum, vel tincturam Japonicam cum cortice Peruviano dando, in partem laborantem aceti vapores insinuando, aut super eam carptum linteum filum aceto tinctum imponendo, quamprimum sistendum est.

Si morbi initia neglecta sunt, robur hominis confectum, aut animi dejecti sunt; in alexipharmacis cum cortice Peruviano, qualia pulvis contrayervae et radix serpentariae Virginienfis sunt, ac libero vini Oportoenfis usu, plurimum est auxilii. Ubi alvi profluvium solito diutius permanfit, quaeque per eam redduntur solito magis rodunt, ideoque anus et nates rosa, plurimam homini molestiam exhibent; id mali, mollientia partis laborantis fomenta, liquoresve mucosi saepius in alvum immiffi, maxime levare solent.

VESICANTIA in auxilium animae dejectionum, et delirio occurrendi aut succurrendi causa,

be injected, one after another, as far into the throat as the patient can bear, and to repeat the medicine three times a-day. Diseases of the army, p. 143.

causa, data sunt; quorum utique usum MERCATUS damnat\*; RAMAZZINUSQUE “Vescantia,” inquit, “magis medicorum estimationi apud vulgus, ne quid inausum, aut intentatum fuisset, conducere visa sunt, quam aegrotantium saluti†:” Quae quidem, si quam omnino utilitatem praestant, molli colli et cervicum tumori forsitan profunt, et transverso gutturi applicanda sunt.

AB ipso morbi initio, aegrotans, quam maxime fieri potest, lecto continendus est; sic enim molestus cutis ardor, optime temperatur; foramina cutis aperta servantur, et, sudore modico moto, alvi profusioni saepe occurritur. Item, cubiculum perflatum esse debet, aliter homo eundem aëra putridum iterum iterumque cum spiritu trahere necesse habebit, summoque in morbi periculo etiam adstantes versabuntur. Victus ejus, ex sago, panada, juscule in quo vel pullus vel bubula decocta sunt, fero lactis vino separato, vino rubro aqua quae igni ferbuerat diluto auran-  
tio Sevillensi asso adjecto, esse debet. Quod si, ut multis post alterum tertiumve morbi diem usu venit, cibos lautiores et conditiores et vinum merax multum desiderat, ea non e-  
runt

\* Opera, tom. 5. consult. 24. p. 142.

† Constit. epidem. obs. 30. p. 113.

runt neganda. Semperque, priusquam vel cibos, vel medicamenta devoret, ut os abluatur, et gargarizetur, perque totum morbum saliva expuatur, non devoretur, videndum.

Post crusta segregata, ulcera perfanata, febrem solutam, et cuticulam abscedere coeptam, alvus rhabarbaro purganda, idemque post aliquot dies iterum faciendum est. Si glandularum tumor non decrescit, eae unguento mercuriali perfricandae sunt, et calomelanos grana pauca cum rhabarbaro danda. Nonnullos cibi fastidium, animi hebetes, calor hecticus iens rediensque, colliquentes sudores, convalescentes male habere perstant: ubi hoc fit, coelum rusticum petendum, lac asininum bibendum, corticis Peruviani tinctura, aut idem decoctus, et elixir vitrioli utenda sunt.

### *De Evacuationibus.*

SUPRA dictis, pauca de sanguine mittendo, et alvo purganda, adjicienda sunt.

IMPRIMIS, mirandum est quantum vis opinionis, contra manifestum sensuum testimonium, homines a vero abripiat: Cum enim non sit, ut angina cum inflammatione, melius quam sanguine detracto, et alvo purgata, curetur;

retur; idcirco, anginam quoque gangraenofam, postquam grassari per Europam coepit, medici parum ab altera discernentes, iisdem remediis tollendam censuerunt: Itaque sanguinem detraxerunt, alvum solverunt, aegrotantes jugularunt! Neque tamen, dum hoc vel faevitiei morbi, vel auxilio fero adlato tribuebant, vel humorum fatis non periisse credebant; ab incepto tristi destiterunt, et in funesto errore perseveraverunt. Nec soli superioris saeculi viri, sed et nostra memoria qui fuerunt et sunt, cum pari multorum perniciæ, sed his etiam minus venia digni, eundem medendi morem, secuti sunt. Quibus, quia eos nominatim designare inutile et ingratum est, omiſſis, ad laetioſiorem rem tranſibo, quique tam foedum errorem noſtris animis detraxerunt, deinde monſtrabo. JOANNES WIERUS, inter primos “Venaſeſſiones plus damni, quam utilitatis aegris, attuliſſe,” aſſerere auſus eſt; neque ullum humorem niſi ex venis ſub lingua educi paſſus eſt \*. MERCATUS, ſolo primo morbi die, “antequam fluxio in partibus contenta, ad putredinem commigraret, venam ſecari ſivit.” Hujus praeterea haec verba ſunt: “Nam tunc temporis, ſi ſanguinem fuderis, ſummopere laedes, (quae cauſa fuit, quod multi medicorum, viſo  
“ hoc

\* Opera, p. 912.

“ hoc damno, renuerint sanguinem mittere);  
 “ quia vires maxime dissipantur, et nihil ejus  
 “ fucci qui computruit, extrahes, neque re-  
 “ vulsione \*,” &c. Doctus et intelligens SE-  
 VERINUS, hunc morbum “ pugnare pravita-  
 “ te, non plenitudinis excessu,” proponit †.  
 Tamen idem curationem tractans, adeo aucto-  
 ritate abripitur, ut quatuor, sex, vel octo un-  
 cias sanguinis detrahi, “ aut eo demum modo  
 “ quem possit homo ferre,” permittat; hanc  
 cautelam interferens, se “ dejectum nempe vi-  
 “ rium et vigoris nativi nolle ‡.” Ingeniosus  
 et perelegans RAMAZZINUS “ adeo improspere  
 “ venaesectionem cessisse, ut omnes aegri ex-  
 “ horrescerent quoties sanguinis missio per ve-  
 “ naesectionem proponeretur ||,” dixit. Quod  
 si FOTHERGILL, HUXHAM, et WALL perlega-  
 mus, humoris detractiōnem nihilo prosperius  
 in Anglia quam in Continente cessisse, repe-  
 riemus. Siquidem inter hos omnes, sangui-  
 nem missum, et alvi purgationem, saepe per-  
 niciei, raro salutis, esse constat.

Quo-

\* Opera, tom. 5. p. 138.

† De recond. abscess. natur. p. 539.

‡ Idem, p. 542.

|| Const. epidem. p. 112.

QUOCIRCA, alvi purgationem circa anginae gangraenosae initia, omnino alienum esse, et sanguinis missionem iis folis prodesse, quibus, incipiente malo, faucium tumefactio tanta est, ut suffocationem minitetur; atque tum etiam venas sub lingua solas esse secandas, recte concludere mihi videor.

F I N I S.

THE ASSOCIATED PRESS

NEW YORK, N. Y., [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]